

mediate ad dispositionem ultimam, quæ simul tempore est cum justificatione ipsa. Et hæc etiam gratia præveniens consistit in divinis excitationibus per illuminationem et inspirationem Spiritus Sancti, quibus homo immediate inducitur et elevatur ad ultimam dispositionem, atque adeo ad ipsam justitiam, ut ibidem, § *Hanc autem gratiam*, late exponitur. Unde hæc etiam gratia præveniens potest interdum tantum esse sufficiens, interdum vero etiam efficax, cooperante ipsi libera voluntate, eadem gratia præventa et adjuta. Et hoc est quod ibi significatur: *Ita totum Deo adscribitur, qui voluntatem nostram, quam creando nobis impertit, gratia sua prævenit et excitat torpescens, ut lapsus suum norit; postea corrigit nolentem ut resurgere velit; postremo adjuvat voluntatem ut resurgere possit, et sic salus nostra Dei gratiæ est donum.* Hæc autem motio et excitatio, quæ datur ut immediate efficiat ultimam dispositionem ad gratiam, actu non justificat hominem, nisi quando actu obtinet a voluntate hominis talem consensum; et ideo tunc solum potest illam denominationem gratiæ justificantis recipere, justificantis scilicet non formaliter, sed suo modo effective. Ad hanc autem efficientiam vel denominationem, non est necesse ut habeat ex se et natura sua vim prædeterminandi physice voluntatem, sed satis est ut secundum propositum Dei in ea opportunitate conferatur, in qua prænosciatur effectum habitura; neque aliud ex illo Enchiridio colligi posset, etiamsi ejus auctoritas admittenda esset.

Ultimo (quod mirabile est) audent auctores illius opinionis etiam Concilium Tridentinum in suum favorem adducere. Et quidam illorum referunt canonem 3, sess. 6, qui sic habet: *Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere aut pœnitere posse sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ut autem canon ille ad propositum adduci videatur, addit auctor ille nos aperte profiteri hominem actibus ex viribus naturæ profectis gratiam justificantem adipisci. Sed quam falsum testimonium hoc est, tam extra propositum est verba illius canonis ad præsentem causam afferre, quæ potius sunt optima ad excludendam motionem physice prædeterminantem voluntatem; illa enim dici non potest inspiratio divina, quia non est actus vitalis, cum a solo Deo fieri dicatur; neque etiam est gratia adju-

vans, quia se sola operatur et determinat voluntatem, gratia vero adjuvans non operatur, nisi cum voluntate; præter inspirationem autem et adjutorium nulla alia gratia necessaria est, juxta illum canonem, alioqui insufficienter doceret gratiæ necessitatem.

Alii vero (quod majori est admiratione dignum) etiam canonem quartum ejusdem sessionis in suum favorem inducunt, cujus verba sunt: *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad justificationis gratiam se disponat ac præparet, neque posse dissentire, si velit, sed veluti inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passice se habere, anathema sit.* Nam per hæc verba damnat Concilium sententiam Calvinii, asserentis Deum per efficacem suam motionem necessitatem imponere voluntati, in qua damnatione unum admittit Concilium, quod Calvinus docet, scilicet, Deum efficaciter præmovere voluntatem, prædeterminando illam. Aliud vero damnat, scilicet, consequens, quod male inde infert Calvinus, scilicet, talem motionem efficacem auferre libertatem. Rationem autem damnationis unicam Concilium ait esse, quia talis motio neque efficientiam physice hominis excludit circa talem assensum, nec potestatem dissentendi tollit; quia cum hæc innata sit ipsi voluntati, per superadditam motionem auferri non potest.

Nos vero libenter imprimis suscipimus quod in hac argumentatione supponitur, Concilium in eo canone loqui de auxilio efficaci; et revera ita est, nam loquitur de illo auxilio, quod habet effectum in voluntate liberæ præparationis ad gratiam justificantem. Quod autem Concilium loquatur de tali auxilio efficaci, quod vi sua et sola efficacia physica prædeterminet voluntatem, aut quod Concilium hoc concedat Calvino ponenti talem efficaciæ modum in auxilio præveniente, nullum indicium in verbis Concilii reperitur. Quin potius Concilium, ut Calvinii et Lutheri errores damnet, duo dicit: unum est, voluntatem hominis non se habere mere passive in sua conversione, sed illam efficere cooperando gratiæ; aliud est, hanc efficientiam voluntatis talem esse ut sit in potestate ejus illam non tribuere, sed dissentire gratiæ excitanti et vocanti. Potius ergo negat et damnat quod Calvinus dicebat, auxilium præveniens tale esse ut sua vi determinet voluntatem ad consentiendum, alioqui jam non esset in potestate voluntatis prævenienti gratiæ resistere seu dissentire.

Hinc ergo nos sumimus initium fundandi nostram sententiam in doctrina Ecclesiastica et Conciliorum, quam Tridentinum in summam redegit, et dilucidius explicavit. Tria autem sunt principia quibus præcipue movemur (ut in superioribus dictum est) ad fugiendam hanc motionem physice prædeterminantem. Primum est, quod, in his quibus datur, tollit potestatem non agendi, et ex ea parte tollit libertatem. Secundum est, quia eos, quibus non datur, relinquit sine potestate agendi, et consequenter sine libertate ex defectu talis potestatis, et sine vera gratia sufficiente. Tertium est, quia illa sententia æque facit Deum primam originem et auctorem actus mali, sicut boni, et tam requirit motionem præviam et efficacem ad bonos actus naturales, sicut ad supernaturales. Hæc autem omnia principia evertuntur a Concilio Tridentino, ut veram de gratia doctrinam contra omnes hæreses, et præsertim hujus temporis, stabiliat; ergo satis etiam evertit et damnat positionem illam de motione physice prædeterminante.

De primo fundamento constat ex dicto canone quarto, quatenus damnat dicentes liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, non posse dissentire si velit. Quod etiam in capite quinto docuerat, ibi: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque ipse homo nihil omnino agat, inspirationem illam recipiendo, quippe qui illam abjicere potest.* Quæ verba varie eluduntur ab auctoribus contrariæ sententiæ, quos aliis in locis satis (ut existimo) refutavimus. Semper tamen aliquid addendum occurrit, quia nunquam desunt novi modi tergiversandi, et ideo non erit inutile omnia hæc iterum commemorare et in summam redigere.

Primo ergo asseruerunt Concilium non loqui de motione efficaci, sed tantum de sufficiente prævia, seu præveniente motione, quæ consistit in tactu cordis per inspirationes et illuminationes Spiritus Sancti, de quibus fatentur semper posse liberum arbitrium eis resistere, quia per eas non prædeterminatur physice, sed solum moraliter excitatur et inclinatur, et ita potest dissentire, quamdiu non accedit motio physice prædeterminans, de qua Concilium locutum non est. Sed hoc modo insufficientis, inutilis et vana redditur doctrina Concilii; unde sine dubio et intentioni et verbis ejus contraria est talis interpretatio.

Primum probatur, quia doctrinam traden-

do de motione gratiæ necessaria ad bene et supernaturaliter operandum, omittit præcipuam, et maxime necessariam motionem, quæ dicitur esse illa de se efficax ac prædeterminans. Unde quoad hanc partem nos libenter admittimus, nullam mentionem talis motionis fecisse Concilium, nam inde saltem colligimus necessariam non esse. Negamus tamen inde sequi, non loqui de vera gratia efficaci, quod statim patebit.

Probatur ergo secundum, quia si Concilium omittit illam motionem, cum tamen necessaria sit, immerito damnat Calvinum, et sophisticè ac pueriliter agit contra illum. Nam ille non ignorabat divinas illuminationes et inspirationes non inferre necessitatem voluntati, cum frequenter illis resistat, sed addit præter illas motionem quamdam necessariam, ut voluntas consentiat, dixitque voluntatem non posse illi resistere, et inde conclusit tollere libertatem. Si ergo Concilium, subticendo et permitiendo præmotionem illam physicam, solum loquitur de aliis excitantibus gratiis, immerito invehitur contra Calvinum, et male colligit usum libertatis ex potestate resistendi excitanti gratiæ, nam ad libertatem non satis est posse dissentire, posito uno vel alio requisito ad agendum, sed positis omnibus; ergo potius ex virtuali argumentatione Concilii colligere debemus illum non agnoscere motionem aliam præviam necessariam ad actualem operationem, præter illam præviam motionem et excitationem, de qua loquitur, ac proinde in illa contineri gratiam efficacem, quatenus præveniens esse potest, et ad operandum necessaria.

Tertio, idem patet ex verbis Concilii; nam imprimis loquitur de homine qui recipit illuminationem, et de quo docet aliquid tunc efficere, retenta nihilominus potestate non agendi. Illuminatio autem quæ ab homine recipitur, efficax est. Deinde utitur generalibus verbis, scilicet, *liberum arbitrium a Deo motum et excitatum.* Loquitur autem evidenter de motione præveniente, quæ a Deo, sine cooperatione liberi arbitrii, in homine fit; unde idem est ac si dixisset: *Liberum arbitrium a Deo præmotum et excitatum.* Talis autem est seu esse debet voluntas hominis prius natura quam consentiat, quocumque genere motionis a Deo sit præventa, vel (ut sic dicam) plene a Deo mota et excitata, quantum necesse est, ut actu consentiat, si velit, absque interventu alterius motionis præviæ; ergo de illa, ut sic mota et excitata, loquitur

Concilium. Unde de illa sic mota immediate verificatur quod Concilium subdit, aliquid cooperari assentiendo gratiæ excitanti atque vocanti, quia nimirum nec talem assensum recipit a sola illa motione, sed etiam ipsa agit illum, neque ad illum agendum indiget alia motione, quia jam supponit plene motam et excitatam. Illa enim verba doctrinalia sunt et solidam doctrinam continent, et ideo licet indefinita videantur, æquivalent universalibus, comprehenduntque omnem motionem præviã necessariã, ut sequatur assensus, si voluntas velit; ergo de eadem voluntate sic mota et excitata, verificari debet quod Concilium secundo loco adjungit, posse dissentire si velit, ita ut hoc locum habeat respectu cujuscumque præviæ motionis, sive sufficientis, sive efficacis.

Alii ergo fatentur Concilium loqui de omni motione præviã, etiam efficaci. Respondent autem voluntatem posse ei resistere in sensu diviso, non in sensu composito, Concilium vero locutum esse in priori sensu. Nam illa potestas satis est ut libertas in assentiendo servetur. Quia vero hæc distinctio sensus compositi et divisi varios sensus habet, et applicata in uno est Catholica et necessaria ad explicandam doctrinam fidei, et locutiones etiam Scripturarum; in alio vero potest esse pernicioza, et eludere doctrinam fidei, favereque hæreticis; ideo diligenter explicandum est quo sensu id accipiatur.

Duo autem explicare necesse est: primum, qualis sit suppositio, quæ in illo sensu composito vel diviso involvitur; certum est enim omnem sensum compositum involvere suppositionem aliquam, quam excludit sensus divinus. Suppositio ergo quæ ab his auctoribus in illis sensibus includitur, has habet conditiones. Prima, quod est intrinseca et per se necessaria ad effectum, imo etiam censetur intrinseca proximæ causæ operanti, id est homini, tanquam inhærens voluntati ejus, quanquam posset dici extrinseca, id est ab extrinseca causa proveniens, et non debita, quod (ut videbimus) parum refert ad præsentem causam. Secunda conditio est, quod illa suppositio est omnino antecedens ordine independentiæ, naturæ, et causalitatis; talis enim esse supponitur a prædictis auctoribus. Tertia est, quod, illa posita, necessario sequitur effectus, non tantum necessitate illationis generatim sumpta, sed etiam necessitate causalitatis, et illationis in illa fundatæ. Nam talis est illa suppositio, ut sit causa primo

influens in effectum, et necessitate quadam naturali in illum influens, eo ipso quod talis suppositio in rerum natura ponitur a Deo, cujus voluntas est unica causa talis suppositionis. Unde licet illa suppositio seu qualitas, aut motio, quæ dicitur gratia ex se efficax, non sit unica et tota causa subsequentis effectus, id est consensus liberi arbitrii, quia secundum fidem etiam voluntas humana est causa ejus, nihilominus illa suppositio talis causa esse dicitur, ut non solum faciat consensum, sed etiam faciat voluntatem influere in consensum, per veram et propriam causalitatem in illam, sive illa causalitas etiam sit effectiva, sive formalis, quasi impellendo, ac per se formaliter trahendo voluntatem ad efficiendum consensum. In utraque autem causalitate, tam in consensum quam in voluntatem ut consentiat, se habet illa suppositio ut causa mere naturaliter agens seu causans, et cum tam efficaci potestate, ut inferior causa illi resistere non possit, quominus et illam secum ferat, et ita effectum intentum, id est, actum consentiendi producat; nam ob hanc tantum efficacitatem et necessitatem illa suppositio talis est ut in sensu composito necessario inferat effectum, etiamsi ad illum concusam aliquam requiratur, quia tanta necessitate facit concusam secum causare, quanta influit in consensum ipsum.

Secundo, explicandum est quo sensu dicant illi auctores Concilium Tridentinum docere liberum arbitrium a Deo motum et excitatum posse dissentire, si velit, in sensu diviso, quia in sensu composito putant verificari non posse. Ex hac vero impotentia respectu sensus compositi intelligitur quæ dicatur potestas in sensu diviso. Creditur enim non esse in voluntatis potestate facere ut, dum in se habet talem motionem Dei, se contineat et consensum suum non eliciat, quod esset simul in se componere motionem divinam cum carentia consensus. Item est alia impotentia in voluntate, quod non potest abjicere a se talem motionem Dei in sensu composito; quod est evidens pro illo eodem tempore vel momento pro quo talis motio a Deo data supponitur, quia tunc jam habet locum illa necessitas, qua res, quando est, necessario existit; quia si Deus in hoc instanti voluntatem prævenit per talem motionem, jam illa motio est in hoc instanti; ergo non est in potestate voluntatis facere ut pro eodem instanti talis motio non sit, et hoc est satis ut pro eodem instanti non possit voluntas tali instanti

impedire effectum illius motionis. Neque vero est in potestate voluntatis prævenire aut impedire ne Deus in hoc instanti sibi talem motionem immittat, etiamsi voluntas ipsa prius natura, et nondum per talem motionem præventa consideretur, quæ consideratio ad sensum divisum sine dubio pertinebit. Tamen quod secundum illam sententiam locum non habeat, patet, quia voluntas non potest impedire motionem Dei nisi quatenus aliquo modo pendet a libertate ejus, saltem ut a conditione sine qua non. Sed juxta hanc sententiam motio illa non pendet ullo modo ex libertate et usu ejus, sed ponitur a solo Deo pro sua omnipotentia et arbitrio; ergo non est in potestate voluntatis impedire Deum præveniendi motionem.

Minorem fatentur communiter auctores illius sententiæ, qui, si aliquando oppressi difficultatibus tergiversantur, vel contradictoria dicunt, et in infinitum quoddam labyrinthum incidunt, vel in errorem Pelagii inclinant, ponentes aliquem usum libertatis ex solis viribus naturalibus tanquam necessarium ad ultimam et infallibilem dispositionem ad efficacem motionem gratiæ, quæ omnia in superioribus visa sunt. Nullo ergo modo est in potestate voluntatis impedire motionem illam pro instanti in quo datur, neque in sensu composito, neque in diviso.

Quin potius addo etiam non esse in potestate voluntatis carere illa motione pro tempore vel instantibus sequentibus, sed hoc etiam pendere ex solo arbitrio Dei, quia eadem est ratio infusionis talis motionis et conservationis ejus. Nam posita illa motione in voluntate pro hoc instanti, pro eodem voluntas necessario consentit, saltem in sensu composito; ergo in hoc instanti nihil agere potest quo impediatur Deum, ne in tempore immediate sequente conservet et continuet talem motionem si velit. Igitur ita pendet ex sola Dei libertate conservare illam motionem pro tempore sequente, sicut fuit dare illam in tali instanti, quia utrumque nullo modo pendet ab hominis libertate.

Dices, quamvis voluntas in hoc instanti, in quo recipit motionem, non possit facere aliquid quo impediatur conservationem motionis, tamen immediate post hoc instans posse illud efficere, applicando se ad alium actum pro libertate sua. Sed hoc dici non potest consequenter in hac sententia, nam juxta illam voluntas nunquam inchoat applicationem suam, sed Deus est primus applicans ejus; ergo ut

voluntas, in hoc instanti mota a Deo, immediate post hoc applicetur ad alium actum impossibilem tali motioni, necesse est ut prius Deus applicet illam, quod facere non potest nisi desistendo a priori motione, et aliam efficiendo; ergo non potest pendere a libertate voluntatis humanæ, sed solius Dei. Tria ergo non sunt in hominis potestate: quod talis motio ponatur, vel non ponatur in sua voluntate; quod, postquam ponitur, tanto vel tanto tempore duret; quod, dum est vel durat, non consequatur effectum. Ex quibus primum non est in potestate hominis, nec in sensu composito, nec in diviso. Secundum, licet videatur supponere motionem pro aliquo instanti, quia non potest res conservari nisi prius fiat, tamen illa impotentia est in utroque sensu, quia voluntas, secundum se spectata, tam est impotens ad impediendam conservationem illius motionis, quam fuit impotens ad impediendam primam infusionem ejus, ut etiam declaratum est. Tertia vero impotentia jam admittitur in sensu composito, superest ut de diviso videamus.

Ex dictis ergo relinquitur illum sensum divisum in hoc solo posse consistere, quia si auferatur motio, tunc voluntas poterit dissentire seu contrarium actum habere. Hæc autem potestas non fuit ablata per priorem motionem efficacem gratiæ, sed sub illa fuit, ideoque durante illa etiam motione, vere dicitur de tali voluntate posse dissentire, quia suam potestatem ad priorem actum contrarium in se retinet, quanquam illam exercere non possit, nisi in sensu diviso, id est ablata motione. Cum ergo Concilium nihil aliud dicat, nisi voluntatem motam a Deo posse dissentire, recte et sufficienter potest in illo sensu diviso explicari.

Hoc tamen modo non minus irridetur doctrina Concilii et evertitur libertas arbitrii, quam juxta priores sensus. Primo, quia Calvinus non ignoravit voluntatem habere capacitatem, ut a Deo moveatur et determinetur ad varios et contrarios actus; posuit autem hanc capacitatem respectu determinationis Dei mere passivam, licet ad efficiendos actus non negaverit activam, et in utroque auctores isti cum Calvino consentiunt. Deinde non ignoravit Calvinus quin voluntas, quando determinatur a Deo ad unum actum, retinet suam capacitatem, tum passivam, ut possit determinari ad alium, vel contrarium, si prior determinatio tollatur, tum activam, ad eliciendum scilicet alium actum, cessando a priori; ergo

non potuit esse tam stolidus Calvinus quin potestatem illam in sensu diviso cognoverit; quomodo ergo illi contradiceret Concilium, si de sola potestate in sensu diviso loqueretur? Dicent fortasse Calvinum non errasse ignorando illam potestatem, aut majorem non admittendo, sed quia existimavit illam non sufficere ad libertatem, et in hoc reprehendi a Concilio, ac propterea damnari. Sed imponunt Concilio, magnamque injuriam illi inferunt, occasionemque præbent stabiliendi et propagandi errorem Calvinum. Nam imprimis, ubi est verbum in Concilio, quod sensum divisum, et non potius compositum indicet; nam verba illa c. 3: *Quippe qui illam et abjicere potest*, scilicet inspirationem, qua Deus tangit cor, involvunt aperte suppositionem divinæ motionis, et illa stante voluit esse in potestate voluntatis abjicere illam, id est, non consentire, nam hoc est illam abjicere. Non est enim in potestate voluntatis facere ut illa motio non insit, vel duret, ut a nobis probatum est, tam in sensu composito quam diviso; ergo posse illam abjicere nihil aliud est quam posse illam cassam reddere, et privare suo effectu, etiam dum actu cor tangitur. Et ita hoc explicuit idem Concilium in canone 4, dum definit liberum hominis arbitrium, a Deo motum et excitatum, posse dissentire si velit. Quod ergo prius dixerat, abjicere inspirationem, idem est quod illi dissentire. Utrumque autem verbum evidenter indicat sensum compositum; nemo enim abjicit inspirationem quam non habet, nec dissentit non vocatus. Item Concilium eodem modo loquitur de eo qui cooperatur vocationi, et eam abjicit; nemo autem cooperatur vocationi, nisi ex suppositione quod illam habeat, et componendo cooperationem cum illa; ergo eodem modo vult Concilium posse hominem componere dissentium suum cum eadem motione divina. Præterea certissimum est, antequam Deus vocet hominem, dici non posse hominem resistere vocationi Dei, quia resistentia supponit quod Deus incæperit vocando, juxta illud: *Vocavi, et renuistis*. At vero ante vocationem potest homo non credere, aut non converti; ergo ut possit resistere vocationi, non sufficit ut possit carere his actibus; necesse est igitur ut possit componere hanc carentiam cum vocatione, vel motione divina jam existente in ipso homine; ergo definiendo Concilium, posse hominem abjicere inspirationem, eique dissentire, non solum definit

posse hominem carere consensu, si auferatur inspiratio, et hanc potentiam retinere etiam, dum inspirationem habet, sed etiam posse, durante inspiratione, cum illa habere et componere voluntarium dissentium.

Præterea, quod attinet ad errorem Calvinum, quomodo per illa decreta eo modo intellecta maneret damnatus? Nunquam enim dubitavit Calvinus, nec dubitare potuit quin homo nunc vocatus et motus a Deo, retineat in se potentiam carendi vocatione et motione Dei, et consequenter etiam carendi illo actu, ad quem vocatio ordinatur; si ergo Concilium tantum definit hominem vocatum retinere hanc potestatem, nihil definit contra Calvinum. Respondebunt definire illam potentiam satis esse ut homo dicatur posse resistere, et consequenter libere operari, quod Calvinus negavit. Sed tunc in hoc magis consequenter fuisset locutus Calvinus. Nam si homo non potest, stante vocatione, cum illa componere dissentium, non potest ipse eam a se abjicere, licet Deus possit eam auferre, si velit. Probatum assumptum, quia imprimis homo non potest facere ut inspirationem ipsam non habeat, nam hoc pendet ex voluntate Dei, ut probavimus, et est per se evidens, saltem pro illo tempore pro quo supponitur homo præventus a Deo per talem inspirationem, cum tamen sensus Concilii sit pro illo eodem tempore posse illam abjicere, sicut pro illo eodem potest illi consentire, alioqui non doceret neque declararet quomodo talis consensus pro illo eodem tempore sit liber; ergo non potest liberum arbitrium ita abjicere inspirationem, ut illam non habeat in illo tempore, in quo illam recipit; neque etiam potest abjicere, negando illi consensum, quia dum est inspiratio de se efficax, non potest illi negare consensum, juxta contrariam sententiam; ergo in nullo vero sensu potest a se abjicere inspirationem. Quod autem Deus possit illam auferre pro tempore sequenti, nihil refert vel ad rem ipsam, vel ad proprietatem verborum Concilii; tum quia agimus de potestate abjiciendi inspirationem pro illo tempore pro quo datur; pro eo autem, nec Deus ipso potest eam auferre, postquam illam dedisse supponitur; tum etiam quia illa non est potestas abjiciendi, sed carendi, quæ ex parte hominis est potentia mere passiva, et potestas activa suspendendi inspirationem est in Deo. Potestas autem abjiciendi non dicitur nisi de potentia activa, sicut et potestas dissentiendi.

Præterea, hic evidenter ostenditur illam potestatem in solo sensu diviso esse insufficientem et impertinentem ad salvandam libertatem. Primo, quia est potestas mere passiva, ut declaratum est; hæc autem non satis est ad libertatem, quæ in potestate agendi et non agendi, ex vi ejusdem activæ potestatis et dominii, posita est, ut ex eodem Concilio Tridentino, secundum late in superioribus dicta, valde manifeste colligitur. Nulla etiam est res inanimata quæ tam necessario, tamque violenter moveatur, quin sub eadem violentia retineat potentiam carendi illo motu, si extrinsecum agens suum etiam impetum velit auferre; quia hæc potestas non est potestas resistendi vel abjiciendi a se impetum, sed est mera potestas passiva carendi illo. Tertio, quia nunquam potest voluntas ita necessitari ad aliquem actum, sive ab intrinseco, sive ab extrinseco, quin sub eodem actu retineat potentiam carendi illo, si auferatur suppositio quæ necessitatem illam complet. Idemque est, si ponatur Deus ab extrinseco necessitare voluntatem, quocumque modo aut impulsu; nam illo etiam stante manet in voluntate potestas carendi actu, si talis impulsus auferatur. At hæc potestas non obstat quominus illa sit vera necessitas, tollens libertatem in tali actu; ergo sensus ille divisus non satis est ad salvandam libertatem. Quarto, est ratio a priori, quia illa suppositio, ut dixi, talis esse supponitur, ut sit primaria ac vera causa per se, quæ non solum facit ipsum consensum, sed etiam facit ut voluntas illum faciat, ita efficaciter illam ad hoc determinando, ut jam non maneat indifferens nec potens ad suspendendum suum influxum; ergo non manet in voluntate libertas, sed maxima necessitas ad talem actum. Patet consequentia; quia illa motio Dei, quoad utramque dictam causalitatem est prior et necessario agens, quia motio illa non habet indifferentiam in se, sed intrinsecam determinationem ad illas causalitates; neque etiam est ita accommodata et subordinata inferiori causæ, ut ab illa possit indifferentiam participare, quia potius illi imprimi necessitatem agendi, nam ita facit illam facere, ut jam non valeat se continere, et hunc effectum agendi impedire; ergo illud agere nullo modo est liberum causæ posteriori, quæ a priori sic agitur; ergo potestas illa in sensu diviso, quæ in tali causa manere dicitur, impertinens est ad actualem libertatem talis actionis, quia illa potestas ni-

hil influit in talem actum; nec est potestas suspendendi proprium influxum, supposito impetu superioris causæ. Denique si talis determinatio ad agendum intrinseca esset, et connaturalis voluntati, profecto non relinqueret libertatem; proinde autem se habet, quamdiu est, respectu illius effectus ad quem datur; quod autem ab extrinseco datur, non minuit necessitatem, sed potius quodammodo auget, nam facit illam esse necessitatem violentam, seu innaturalem. Supponimus enim non magis esse in potestate voluntatis auferre a se illum extrinsecum impetum, quam si esset mere naturalis et ab intrinseco. Igitur necessitas in tali sensu composito est aperte contraria libertati actus, ac proinde potentia ad oppositum in solo sensu diviso est impertinens ac insufficientis ad libertatem.

Alii ergo, his difficultatibus oppressi, tandem fatentur et comprehendisse Concilium sub motione prævia, de qua loquitur, hanc quam vocant de se efficacem ad prædeterminandam voluntatem; et nihilominus illa posita posse liberum arbitrium illam abjicere, seu illi dissentire si velit; nunquam tamen illi dissentire, et in sensu composito esse infallibile, quod nunquam dissentiet. Et ad hoc quidem esse illud auxilium de se efficax ut faciat voluntatem nunquam dissentire, non vero ut faciat ne possit dissentire. Hæc vero responsio in solis verbis posita est, ne verba Concilii formaliter negari videantur, tamen reipsa destruit doctrinam Concilii, vel apertam involvit contradictionem. Nam si posita illa motione potest voluntas dissentire, etiam in sensu composito, ergo potest continere se, et non influere in consensum, non obstante illa motione; ergo illa motio non habet se sola intrinsecam efficaciam ad faciendum ut voluntas faciat et influat in actum, quia, si motio habeat hanc vim non solum sufficientem, sed etiam efficacem, non posset per voluntatem impediri, nam in hoc consistit talis efficacia. Secundo, quia si voluntas potest impedire illum effectum, seu dissentire, interrogo unde est infallibile ut nunquam dissentiat, stante illa motione. Non enim est infallibile in causa, quandoquidem est alia causa, quæ possit talem effectum impedire, de qua inquirimus unde sit infallibile quod non impediet. Nec enim potest esse infallibile in aliqua illatione de se necessaria, quia, quod potest non sequi, posito alio, non infertur necessario ex illo. Nec denique est